



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorum Libri Tres


Liber Tertius, Sive Exempla Divinae Irae, Per Opera Poenitentiae, Nobis
Leniendae - Per Quadagesimam Anno M. DC. XLVIII. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

Capvt I. Qualibus potissimùm remedijs, in publicis maximisq[ue]
necessitatibus, sit vtendum, exemplo Italorum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48194)



CAPVT I.

QUALIBVS POTISSIMVM
REMEDIIS, IN PVBLICIS MAXIMIS-
QVE NECESSITATIBVS, SIT
VTENDVM,

EXEMPLO ITALORVM?



VI dentium dolore, alioque corporis morbo laborant, diligenter solent inquirere, quibus alij simili molestia affecti remedijs sint vsi, & adiuti; vt in malo pari, partibus quoque adhibitis medicinis, ad pristinam redeant sanitatem. Dentium & mentium dolore, alijsque grauibus ac periculosos nos affligi malis, totamque nobiscum Germaniam, ne nesciamus, pulsata monent tympana, & buccinae clangentes indicant; monent arma, quae in officinis cuduntur; vel aliunde empta totis plaustris in urbem hanc nostram inuehuntur; monent milites turmatim transeuntes; monent illi, qui cum frumento, cum iumentis, cum suppellectili sua vndique huc e pagis & oppidis vicinis immigrant, & tamquam ad asylum quoddam confugiunt; ostendunt desertae villae, castella, mapalia; narrant noua non tantum colloquijs, sed etiam litteris ad nos perlata: testata sunt tonitrua bellicorum tormentorum, quae de vicino hoste atque nostro exercitu auribus nostris insonuerunt. In his tantis tamque diuturnis malis, nihil ego video aprius vtiliusque afferri in medium posse, quam exempla eiusmodi, in quibus videamus, non modò eadem, similiaue mala alijs accidisse, verum etiam, qua industria, quibus auxilijs, aut artibus sint propulsata. Omnes enim, qui rebus aduersis agitantur, cupiunt ijs liberari: atque idcirco promptissimis studijs, & audissimis auribus audiunt ea, quibus possint liberari.

In hanc rem exemplum afferro, certum, testatum, fide dignum, & à pluribus posteritati traditum; praesertim ijs, qui res
A Italas

I.

QVALE GENVS
EXEMPLORVM
HVIC TEMPO-
RI MAXIME
CONVENIAT?

II.

AVTHORIS,

1 Cap. I. Quae opera sint, tempore belli, exemplo Italorum, faciendas

TEMPVS, ET
OCCASIO EX-
EMPLI.
Abraham
Bzou. tom. 13.
Annal. Ecel.
Anno Christ.
1260 n. 15. &
16. Carol. Si-
gon. lib. 191
de regn. Ital.
Idem Anno
1251.

Italas memorauerunt. Mihi duos nominare sufficit, quorum vnus Abrahamus Bzouius Polonus Ordinis Prædicatorum Religiosus, is, qui Annales Ecclesiasticos eminentissimi Cardinalis Baronij est prosecutus; alter autem est Carolus Sigonius historicus præsignis, à fide & stilo vbique laudatus. Res quam narra- bo, contigit Anno Christi 1260. Alexandri Pap. IV. 6. Michaëlis Palæologi Imp. Orient. An. 1. Sed vt ab ovo, quod aiunt, intelligatur, à suis inijs est reperenda. *Fridericum ex humanis rebus exemptum interregnum inde XXIII annorum excepit, ait Sigonius, pluribus dissidio principum ad Germania corona culmen euectis; verum nemine in Italia, aut ab Archiepiscopo, aut à Pontifico regijs, aut Augustalibus insignijs exornato. Quocirca regno Imperioq; vacante, ciuitates Italia impunius inter se arma conferre, partes acerbius inter se inimicitias exercere, populorum insidiari libertati liberius potuere. Nam ut prauas populorum factiones indigna superiorum Impp. cum pontificibus certamina pepererunt, sic saua tyrannorum imperia exigua sequentium regum opes introduxerunt, quoad Regnum Italia in multos principatus diuisum, prorsus ad nihilum est redactum.*

III.

ITALIAE AF-
FLICTIO VN-
DE?
1. Reg. 17. 4.

Audiuimus, & legimus sæpe in diuinis litteris, quantus fuerit Goliath, quantæ altitudinis, nimirum sex cubitorum & palmi, quantis armis munitus, quanta voce Israëlitas prouocans terruerit. Audiens enim Saul, & omnes Israëlita, sermones Philisthai huiusmodi, superabant, & matuebant nimis. Hunc Deus cum vellet ad nihilum redigere, per Dauidem id fecit. Dauid autem lapillo vno deiecit, non membratim deartauit, sed præcidit caput eius dumtaxat. Hoc habuit, & satis habuit, nihil enim amplius eum sua arma ærea, nihil membrorum vires, nihil vastitas corporis potuit iuuare. Quia etiam videntes Philisthym, quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt: Ad eundem modum Deus si quod regnum vult dissipare, caput eius percutit, regem tollit, aut excacat, sicut quondam Pharaonem: Sic enim Scriptum est: *Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.* Vt autem in prælijs, acie dissipata, actum est de exercitu; ita in regno, si non est, qui congregat ac regat, populus in partes diuisus, se ipsum perdit collisus inuicem, qui inuicem deberet esse connexionem firmatus. Atque hoc est quod Seruator dixit: *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur,*

Matth. 26. 31.
Marc. 14. 27.
Mach. 13. 7.

Euc. 11. 17.

• do

Cap. I. Qua opera sint, tempore belli, exemplo Italorum, facienda? 3

& domus supra domum cadet. Quod proinde etiam regno Italiae factum est. 1. Capite caruit. 2. Membra ipsa inter se collisa sunt, vrbes nimirum & principes, ac totae principum familiae; ut necesse fuerit, domum supra domum cadere. 3. Quare Anno jam 1251. Innocentio adhuc Pontifice, Mutinenses, Parmenses, Bononienses, Regienses, Laudenses, Mediolanenses, Veronenses, Cremonenses, Mantuani, Patavienfes, Capuani, Neapolitani, quin & integræ Gibellinorum ac Guelphorum factiones aliorumque Principum ac Marchionum domus in motu fuerunt. Conradus Friderici filius, qui se Germaniæ ac Siciliae regem nominabat, morte patris accepta, cum insigni exercitu in Italiam ad obtinenda regna paterna traiecit. Postea accessit & foeda machinatio hereticorum Mediolani, qui *Credentes* dicebantur, ægreque ferebant; se iussu Innocentij extirpari. Mediolani duo Prætores constituti, vnus qui populo, alter, qui nobilitati jus diceret, quin etiam distractis in duas partes familijs, Turriani plebis, Surefimi cum Vicecomitibus Nobilitatis non tam tutelam, quàm principatum sumpserunt. Gibellini à Parmensibus, Guelphi à Regiensesibus & Cremonensibus recipi denuo cupuerunt expulsi. Ac postea recepti Gibellini, Parmæ ædes suas euerfas exoptulantes, noua cum Guelphis, qui eas diruerant, certamina miscuerunt. Variæ factiones, varia fœdera jam cum his, jam cum illis inierunt, ut se tuerentur. Conradus Conradinum filium, in sua aduersus Ecclesiam perseverans contumacia, heredem Neapolitani regni instituit. Sed Innocentius illud cum exercitu recepit. Denique tametsi Icilius, Alberici ambitio, aliorumque tyrannis magnorum tumultuum causa fuit, tamen potissimum totius miserie ansam præbuerunt, qui palam contra Pontificem atque Ecclesiam armata enlere; quæ numquam verius dicere potuit, quàm tunc: *Filius matris meae pugnaverunt contra me.* Cant. I. 6.

Nec verò res ludicra fuit. Per xxiii. annos regnum instabile fuit, ac tale, quale corpus humanum sine capite; exercitus sine duce; grex sine pastore, in quem lupi, vrsi, aliaque belluæ impugne grassantur. Omnia suspecta, omnia factionibus plena, ut ferè nemo alteri fidere auderet, nesciens cuiam parti adiunctus adhereret. Perfidijs, ac prodicionibus aula, curia, respublicæ

4 *Cap. I Quae opera sint, tempore belli, exemplo Italorum, faciendae*

omnes replebantur: honores, & officia, spe, promissione, pecunijs emebantur: consilia nulla secreta habebantur; contributiones intolerabiles exigebantur; quod si quis sibi deesse argentum dicebat, in carceres rapiebatur, è quibus non exibat, donec vxor, vel cognati, vel amici, vnde, vnde, quod petebatur, corrasissent. O quot excursions? quot hinc inde depraedationes? quot populationes agrorum? quot domorum, villarum, pagorum, arcium, atque oppidorum exustiones factae sunt? Quot velitationes, quot pugnae, quot proelia commissa? Inde quot campi cadaveribus tecti? quot flumina & amnes sanguine purpurati? Quot nobilissima familiae spoliatae, afflictae, extinctae? Quot vndique exales, inopes, egeni prodierunt? Nam & cum milites hibernare viderentur, quanta rapinae commissa fuerunt? quot domus, arces, vrbes spoliatae, quot iumenta abacta? quot abducti equi? greges interuersi? Capti quam miserè in vinculis habiti? quam sauis modis publice interfecti? Neque capti tantum, sed obuij quique, & verè innocentes, supra omnem barbariem male habiti; ita vt neque pueris, neque puellis, neque feminis maritatis, immo neque ipsis sacerdotibus, neque Ecclesijs parceretur. Atque haec non per multos tantum annos, sed per totam Italiam fuerunt; neque ipsa Roma quieta. Vna vrbs, vna ditio, vnicum Siciliae regnum, quoties iam ab hoc, iam ab illo occupabatur, premebatur, spoliabatur? Denique omnia susque deque vertebantur, omnia sine ordine, sine consilio, sine iustitia, ex libidine, ex ambitione, ex furore agebantur.

V.
INANIA ITALORVM BELLI
REMEDIA.
Ita. j. 7.
Tertullian.
lib. contra
Iudaeos. c. 3.

Quam appositè tunc dici potuit: *Terra vestra deserta, ciuitates vestrae succensa igni: regionem vestram coram vobis alieni denorant, & desolabitur, sicut in vastitate hostili. Et derelinquetur filia Sion, vt umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitas, quae vastatur.* Vt enim, facta vindemia, solet deseri & euerti umbraculum, seu teges, seu casa, vt legit Tertullianus, in qua ante vindemiam vineae custos degebat, vt vvas & fructus à furibus & bestijs tutaretur; ita vt, sicut ex umbraculo hoc dissecto nihil superest, praeter tigna & statumina, hinc inde proiecta; ita ex Hierosolyma, per Chaldaeos primum, deinde etiam à Romanis vastata & incensa, praeter ruinas, & dispersos hinc inde sanctuarij lapides

Cap. I. *Qua opera sunt, tempora belli, exemplo Italorum, faciendae*

lapides nihil super sit antiquae gloriae. Immo succendetur ipsa, sicut lectis & ablatis vis & fructibus succenduntur tugiola cucurbitodum in cucumerarijs. Quod autem Propheta tunc Iudaeis praesentibus locutus est, id etiam spiritu prophetico extendit, & loquitur alijs futuris, siue in Italia siue in Germania. Porro ita tunc desolata erat Italia, ut neq; consilium, neq; auxilium verum prospiceret, sed vana spe niteretur, ut ei dici posset, quod dixit Rab-faces: *Loquimini Ezechia: Hec dicit rex magnus, rex Assyriorum: 4. Reg. 18. 21.*
*Qua est ista fiducia qua nitere? Forsitan inisti consilium, ut preparares te ad praelium. In quo confidis, ut audeas rebellare? an speras in baculo arundineo, atque confracto, Aegypto, super quem si incubuerit homo, non minuitur ingredietur manum eius, & perforabit eam? Sic est Pharaon rex Aegypti, omnibus qui confidunt in se. Ad similem ferè modum tuac Itali malis fulcris regnum collabascens fulcire conati sunt. Quidam opibus suis; quidam armis; quidam socijs ac confederatis; quidam deditioibus urbium ac ditionum; quidam virtute ac fide quorundam insignium ducum; quidam inani spe pacis componendae se consolati sunt; quidam ad Interponentes, ad Compromissa confugerunt: nihil stabile effectum est; baculo arundineo nixi, seiplos non firmarunt, sed vulnerarunt; decepti, non adiuti; & vel hinc à Deo puniri, quia toti humanis viribus confisi, non senserunt, unde percuterentur, aut quò esset confugiendum. Dimisi eos, ait, secundum desideria cordis eorum; ibunt in adin- Psal. 30. 15.
mentionibus suis. Quàm caeci sumus, in rebus maximis mortales? In cibo, in potu, in vestibus, in medicinis optima quaeque optamus, quaerimus, procuramus: in rebus summi momenti tantùm de auxilijs humanis, non diuinis cogitamus; improbiores lunone illa quae dixit:*

Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo: Virgil. 2.
nos enim prius omnia tentamus, quam ad Deum curramus: & *Enclad.*
multorum consilium est:

Flectere si nequeas Acheronta, vel astra mouebis.

Atque vtinam, postquam impiè prius à iuratissimo humani generis hoste frustra auxilium flagitarunt; saltem tunc saperent, & à Deo saluatore suo opem postularent: ille enim est *refugium nostrum, Psal. 30. 4.*
ille spes nostra, ille nostra fortitudo.

VI.

VERA BELLI
FINIENDI RE-
MEDIA.
Carol Sigon.
lib. 19 de
regn Ital.
An 1260.

In quem ut spera nostrara figamus, volui exemplum hoc recensere; immo & ipse Deus monuit, dum Italis tandem, post tot annos, mentem meliorem iniecit. Audite Sigonium sic loquentem: Eodem anno mirabile quoddam ac plane novum religionis studium animos Italarum incesit, ut se verberibus in expiationem peccatorum urbes passim agrosq; obeuntes afficerent. Initium autem huius rei à Perusinis inductum. Quippe Eremita quidam vir spectata sanctitatis spiritu diuino instructus, ad populum dicitur processisse, eumq; Dei nomine monuisse, nisi ad penitentiam se conferrent, ac supplices pacem eius, & misericordiam postularent, fore, ut breui uniuersi misera factaq; lue conciderent. Qua vox adeo in pectoribus eorum insedit, ut nulla interposita mora, praecepta Eremita, tamquam à Deo missa exhauserint. Etenim iam senescente autumno, viri faminaq; omnis aetatis ordinisq; repente corpora, per inde ac re composita, usque ad umbilicum nudarunt, ac se sumptis ad id loci cedere per urbem instructo agmine incedentes coeperunt, S. Virginem, ut sibi à Filio salutem impetraret, summis clamoribus obrestantes; atque iterum veteribus odys positu, pacem inter se mutuis osculis adhibitis sancientes. Inde urbe vexilla longo agmine praeferentes egressi, ad vicina oppida prodierunt, eaq; cum ingenti illarum admiratione ingressi, in vijs ac templis eandem pietatem exercuerunt. Qua re populi illi permoti, & ipsi pariter eiusdem sanctitatis studium ascuerunt, ac se verberantes, ac pacem & misericordiam ingeminatis vocibus implorantes cateruatim ad urbes proximas accesserunt. Atque ita ex Tuscia in Marchiam, ex Marchia in Romaniam passim, incendijs more, ea religio transijt. Quippe singuli populi episcopis ac magistratibus suis precedentibus, urbes agrosq; ea amulatione iniecta laustrarunt, ut nullius sexus, aetatis, ac conditionis homines essent, qui huius verberationis participes esse vellent. Ita fiebat, ut passim incondita carmina in Dei, & sacrae Virginis laudes composita canerentur; peccatorum confessiones vix suppetentibus ad audiendum sacerdotibus celebrarentur, atque omnino reuera, qua iam pridem exoluerat, Christi disciplina renovaretur. Hac vero religio ex urbe in urbem traducta, cum populos passim tamquam serpente quodam igne comprehendisset, acum ab Immolensibus excepta, & quasi per manus Bononia tradita civitatem ipsam mirabiliter inflammavit. Itaque & ipsi Nudati sese mulctarunt, ipsi diuinam spem suppliciter poposcerunt; ipsi cum

Cap. I. *Quae opera sint, tempore belli, exemplo Italorum, facienda? y*
 sis in gratiam redire, & reliqua pietatis officia, quae & ceteri, suscipere contenderunt: ac demum manu facta hominum amplius viginti milium ante diem festum Omnium Sanctorum, sub vexillis Mutinam processerunt, ibiq; pie basilica S. Geminiani episcopi visitata, solennem hic verberationem, positus vestibus, inierunt. Qua pietate Mutinenses accensi, eandem disciplinam continuo suscipere, susceptamq; Regium, ac Regionem Parmae derulerunt. Cum autem Parmenses Cremonam adire pararent, ab Huberto Palanico malum, si accederent, intentante deterriti, Brixiam, Derthonem, & Papiam se contulerunt. Inde à Nouariensibus & Mediolanensibus opera Turrianorum exclusas, Taurinates, Charienses, Hastenses, & reliqua Pedemontanae civitates committere acceperunt, atque ad eorum exemplum sese subito conformarunt. Derthoni vero Sinibaldus Opizonus praetura peracta, Genuam cum magno Derthonensium comitatu reuersus, vestes in aede S. Francisci deposuit, ac se se cum comitibus suis cadere coepit, ac frequenter humi prosumbens, misericordiam ac pacem Dei, iteratis vocibus implorauit. Quod factum primo Genuenses irriserunt; deinde summo studio susceperunt, nec solum inueteratis simulatibus renuntiarunt, sed etiam pristina vita, utpote multis sceleribus inquinata, se abdicarunt. Ceterum hi homines vulgo Deuoti, & hic annus Generalis Deuotionis annus est appellatus. Mansit inde in multis ciuitatibus clara huius religionis memoria, sacris Verberantium sodalibus eius rei monumento aliquot institutis.

Hic talis annus à nobis nunc debet agi; nec enim mala est imitatio. Quippe, non putandum est, hos Italos esse eos, qui *Flagellantes* dicti, pro haereticis damnati sunt; quia hi haeretici aliquot annis post emerferunt, Gregorio X. sedente. Itaq; tunc cum vniuersa Italia, & praecipue Hetruria, Emilia atq; Lombardia bellis ciuilibus iactaretur, praelatam Crucem innumerabiles populorum cateruae, à ciuitate Perusina vsque ad circumuicinam, & ab hac ad alteram ciuitatem sequebantur, profusis cum lachrymis misericordiam diuinam & finem tantorum malorum implorantes; & tum demum tumultuantes ciues ad pacem & concordiam inuitantes. *Habuit tunc Otto Cardinalis, ait Brouius, perspecta piorum deuotione diuinare ac dicere: VICTI VICTORES VINCENT, NEQ; VMQVAM VINCENTVR; allusione facta ad Guelfa factionis Florenti-*

VII.
 HAEC NON
 SINE BONA
 SPE IMITAN-
 DA.

8 *Cap. I. Qua opera sunt, tempore belli, exemplo Italorum, faciendae nos, qui ante aliquot menses à Gibellinis profligati fuerant: spem tamen non omnino abiicissent, quam cum ex iustitia causa, tam ex piorum precibus, cum vel maxime a diuino subsidio conceperant. Hanc spem, & nos concipere possumus, si eandem habeamus conditionem.*

VIII.
CAUSSAE SPE-
RANDI.
Matth. 8. 25.
Matth. 16. 18.
Prou. 18. 12.
Dan. 3. 26.
1. Ioan. 1. 8.
Prou. 18. 33.
1. Ioan. 3. 10.

Atque hinc de iustitia causae nihil disputabo, si enim de Religione Catholica agitur, tam parum de iustitia causae, quam de ipsa Religione licet nobis dubitare. Possunt quidem fluctus excitari, & nauicula Petri fluctuare; mergi tamen illa non potest, quamuis in ea Christus dormire videatur. *Porta inferi non praeualebunt aduersus eam.* Agi autem de Religione nec Sueci negant, & Protestantes aperte fatentur; Catholici autem omnes vident, & experiuntur. Sumus itaque in hoc Italis pares, quia & tunc contra Ecclesiam agebatur. Quamquam autem Deus hanc tempestatem immittat ad probandam Ecclesiam suam, ut eam exaltet, iuxta illud: *Antequam coneratur, exaltatur eorum hominum, & antequam glorificetur, humiliatur;* tamen etiam alias quoque quam plurimas causas habet nos affligendi, ob peccata scilicet nostra. Quid enim? an tribus illis innocentissimis viris innocentiores sumus? aut sanctiores? Illi autem in horribile illud fornacis incendium proiecti ita locuti sunt: *Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile, & gloriosum nomen tuum in saecula: quia iustus es in omnibus, quae fecisti nobis, & uniuersa opera tua vera, & via tua recta, & omnia iudicia tua vera. Iudicia enim vera fecisti, iuxta omnia, quae induxisti super nos, & super civitatem sanctam patrum nostrorum Ierusalem: quia in veritate, & in iudicio, induxisti omnia haec propter peccata nostra. Peccauimus enim, & inique egimus recedentes a te: & deliquimus in omnibus: & praecepta tua non audiuimus, nec obseruauimus, nec fecimus sicut praeceperas nobis, ut bene nobis esset. Si talis est contestatio trium illorum Sanctorum, quis nostrum audet se putare innocentem? Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Est quidem ita, ut, quemadmodum nigerrimi Aethiopes, se arbitrantur minime deformes, sic & maximi peccatores se ipsos excusent atque existiment minime peccauisse; quia impius cum in profundum uenerit peccatorum, contemnit: aut in quo scintilla est lucis diuinae, fidei, ac pietatis, facile se agnoscit prauaricatorem. Etenim si dixe-*

Cap. I. Qua opera sint, tempore belli, exemplo Italarum, facienda?

rimus quoniam non peccauimus; mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis. At si confiteamur peccata nostra; fidelis est, & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Est ergo hac altera causa, ob quam nos bellis exercet, ut mundet, ac sanet; Ecclesiamque suam velut agrum sentibus oblitum purget. Nec ante cessabit, quam nos celsimus sentes, & spinas, & tribulos proferre. Vbi autem viderit, nos confiteri peccata nostra, quod maxime quaerit castigatione sua, & ipse gladium in vaginam reponet. Est enim velut peritus medicus, qui ut aegrotantem febris liberet, chirurgus astat, eumque iubet venam aegri secare, nec ante finit sisti sanguinem, quam videat tantum emissum, quantum iudicat necessarium ad sanitatem: Ita Deus bella mittit & hostes, isti sunt Chirurghi Numinis, isti tam diu mittunt nobis sanguinem, donec Deus iubeat eum sisti. Non iubet autem, donec videat in nobis signa sanitatis. Signa autem sanitatis sunt, si ad eum conuertamur.

Quid moramur igitur? An nondum satis sanguinis misimus? An nondum satis percussi obstupescimus, neque plagam sentimus? Itali saltem decimo turbarum suarum anno ad poenitentiam cucurrerunt, nos iam trigesimo anno hac bella sustinemus, & quam pauci inde facti sunt meliores? Toties, tamque diu percussi nondum expergiscimus. Cur alibi remedia quaerimus? cur in sola potentia, pecunia, exercitibus nostris spem ponimus? Cur nunc in istum, nunc in alium culpam reieimus? Cur humana tantum consilia, & auxilia quaerimus? Post omnia tentata & desperata. Eremita quidam vir spectatae sanctitatis spiritu diuino instinctus, ad populum dicitur processisse, eumque Dei nomine monuisse, nisi ad poenitentiam se conferrent, ac supplices pacem eius, & misericordiam postularent, fore, ut breui uniuersi misera foedaque luce conciderent. Non dicam de nostri temporis Prophetis, verbo, & calamo, serio ad poenitentiam hortantibus: Nonne olim cepit Ionas introire in ciuitatem itinere dies unius: & clamant, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur? Et crediderunt viri Ninivite in Deum: & praedicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis a maiore usque ad minorem. Et peruenit verbum ad regem Ninive: & surrexit de solio suo, & abiicit vestimentum suum a se, & indutus est sacco, & sedit in cinere.

IX.
AUDIENDOS
ESSE POENI-
TENTIAE
PRAEDICATO-
RES.

Ion. 3-4.

B

Es

to Cap. I. *Qua opera sint, tempore belli, exemplo Italarum, faciendae?*

Et clamauit, & dixit in Ninive ex ore regis, & principum eius, dicens: *Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gressent quidquam: nec pascantur, & aquam non bibant. Et operiantur saccus homines, & iumenta, & elament ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate, qua est in manibus eorum. Qui scit, si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore irae suae, & non peribimus? Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* Mirabile dictu. Niniuitæ homines erant pessimi, idololatræ, vino, veneri, luxui, impietati penitus immergi, & ad vocem vnus Ionæ, hominis ignoti ac peregrini, credunt se interitum meruisse; dicit vnus alteri, nec apud magnates dissimulatur, & peruenit verbum ad regem Ninive, nec contemnitur, sed illico ab omnibus obeditur, a minimo usq; ad maximum; usque adeò, vt etiam infantes à lacte, iumenta à pastu & potu debuerint abstinere, vnde ingens & infantum ploratus, & matrum commiseratio, & pecorum mugitus clamorque exortus, luctu & tristitijs omnia compleuerunt. Quam pœnitentiæ faciem etiam vnicus Eremita apud Perusinos introduxit. Hunc ergo siue Ionam, siue Eremitam & ego in publicum prodiens, hodie, imitor, & pœnitentiam prædico. Immo & alij me maiores, nimirum Episcopi ipsi, & ordinarij magistratus Ecclesiastici, qui etiam rogatu ipsius Serenissimi Electoris magis instigati, pœnitentiam, in omnibus cathedris prædicari voluerunt.

X.

EXEMPLA
POENITENTI-
VM SEQUEN-
TIALIA

Itaque cooperemur Deo. Deus vult nos emendare; etiam ipsi igitur nos emendemus, & pœnitentiam agamus, vt *Deuotissimi* fiamus, sitque annus iste *Generalis deuotionis annus*. Habemus exemplum Niniuitarum, est positum ante oculos exemplum Italarum: Vt enim ibi vnum Eremitam secuta est ciuitas Perusina, hanc autem vicinæ aliæ atque aliæ; ita nos quoq; illas sequamur. Ideò enim hoc illorum exemplum est memoriæ traditum, vt sit posteris pœnitentiæ monumentum. Si ciborum lautitias, si luxum vestium, si capillorum ornatum, si ritum bibendi, si alias vanas vrbiū aut regionum nouitates tam pronis animis imitamur, cur non & hinc exemplum trahimus, atque aliò propagamus? Illud sponte, atque in perniciem nostram facimus; hoc facere, & quidem

Cap. I. *Quae opera sint, tempore belli, exemplo Italorum, faciendae*

dem ad nostram utilitatem obligamur. Nam si incendium exoritur, omnes accurrunt ad illud extinguendum, partim charitate proximi, cui succurrere volumus, partim timore, ne ad nos quoque flamma deriuetur. Cur non bello quoque ardente, & tam nobis ipsis, quam proximis nostris instante? Omnes peccauimus, omnes iram meruimus, non solum milites, ciues, serui, domini, & principes, sed etiam clerici, sed sacerdotes, sed religiosi; omnes igitur Deum placatum reddere studeamus. Italorum ultra viginti millia fuerunt, qui vna de ciuitate in ciuitatem, de ditione in ditionem, poenitentiae suae exempla circumtulere. Neque purandum est, hos solos fuisse poenitentes, atque alios, qui domi manserunt, nihil pie fecisse. Sed illi quoque domi, vbi & plus otij, & maior occasio fuit se se castigandi, omnis generis poenitentiam egerunt. Faciamus nos domi & foris, atque hinc, vnde alioqui scientia & sapientia in alias vrbes & prouincias deriuatur, etiam poenitentiae opera propagemus. Si nullus est, qui non aliquando verbis, aut opere Scandalum alijs dederit; compenset iam: & vicissim bonorum operum exempla praebere non erubescat. Hoc jam dudum tam prolixis belli malis Deus a nobis quaerit obtinere, vt Ecclesia pristinum nitorem adipiscatur, & vnusquisque in Domino renouetur. Parum enim refert, vtrum Deus beneficijs ac miraculis, an plagis nos ad poenitentiam vocet. Quare post triginta annorum bella Germaniam affligentia appositae ad nos dicere potest Christus: *Si in Tyro & Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio & cinere poenitentiam egissent.*

At quanam poenitentiae opera sequenda? Feminis & parvulis non permitteretur, si publice se se vellent verberare: Zelus ingens Italos excusauit. Viri & iuuenes hoc exemplum in templis & plateis abunde exhibuerunt. Interim domi ac privatim neque parvulis prohibitum, neque mulieribus est interdictum, vt corpus suum loris, virgis, flagellis, cingulis castigent: Vt D. Magdalenam, D. Martham fecisse credibile est; certum autem de S. Catharina Senensi, de S. Teresia & de multis alijs Sanctis. Si Publicanus ille, qui *percutiebat pectus suam dicens: Deus propitius esto mihi peccatori descendit iustificatus in domum suam*, cur non & illi, qui percutiunt dorsum suum, quod Deo creatori suo obuertere-

Matth. 23.
Luc. 10.

XI.

QUALIA OPERA
POENITENTIAE EXERCENDAE

Luc. 18. 29.

62 *Cap. I. Qua opera sint, tempore belli, exemplo Italarum, facienda?*
runt? Si hoc non omnes possunt, vel ob imbecillitatem corporis, vel ob defectum occasionis, vel alias ob causas facere, atque possunt peregrinari ad B. Virginem, ut Itali fecerunt; ad Saluatorem proximum, vel remotum, ad S. Oswaldum, ad D. D. Exules Oettinganos, aliaque loca pia. Quod si etiam, iam hoc tempore, istud est periculosum, ob milites, at tamen sunt in urbe templa, sunt processiones, sunt stationes; in quibus fas est exercere pietatem. Peregrini & hospites non sinant filios suos in plateis vagari, sed eos ad catechismum, ad preces, ad Missam secum adducant. Neque se, ob aetatem illorum, putent excusatos, si nondum possunt peccare, tamen possunt Deum placare ipsa sua innocentia, uti in Italis, & olim in Niniuitis apparuit. Certè, more Italarum, D. Virginem Dei Matrem rogare, ut Filium nobis propitium efficiat, nemini non est in promptu. Sed in eo maxime imitandi sunt Itali, ut, *veteribus odys* positis, pacem inuicem sanciamus. Cur enim nobis Deus pacem donaret, si nos ipsi inuicem bellare pergimus? Ante omnia tamè hoc, exemplo Italarum, nobis est faciendum, ut *peccatorum confessiones, vix suppetentibus ad audiendum sacerdotibus, celebremus*. In quibus omnibus, si narratum exemplum imitemur, ipse erit etiam illius diuinationis, quam ab Ottone Cardinali editam audiuius: **VICTI VICTORES VINCENT.** Nam si Ninive tam impia ciuitas, post ieiunia, post ciliicia, post squallorem cinerum, post gemitus, & suspiria ac pœnitentiam, à diuina bonitate misericordiam est consecuta; cur nos non idem faciamus, ut idem consequamur? Et quidem illi, qui aliàs honore præcedunt, periculaque meliùs intelligunt, meritò etiam præcedent exemplo pœnitentiæ, atque hoc sacro tempore, sapius peccata sua expiabant: sicut in Italia ipsi Episcopi, & magistratus ceteris præcesserunt. Illi autem, quos necessitas coëgit huc confugere, atque iumenta sua in tutum transfere, utique animæ suæ potiore rationem, quam bestiarum suarum, eum hac ipsa animæ suæ cura mereri possint, ut pecora sua, & ædes ac villæ saluæ conseruentur. Sine dubio Deus Italis tam atrocem immisit tempestatem, ut ad pœnitentiam confugerent, citiùs liberandi, si citiùs resipuissent. Ita & vos Deus huc adduxit, ut occasione, & loco, & sacerdotum copia utamini. Non eritis excusati,

Cap. I. *Quae opera sint tempore belli, exemplo Italicorum, facienda?* 17

excusati, si adhuc sine poenitentia permanetis. Nec miremini, si pecora vestra cadant, si domus spolientur, aliaque vobis damna accidant, nunquam ad caelum, atque ad Deum vestram mentem erigentibus; neque ad confessionem recurrentibus, adeo otiosis. Domi labores subinde vos excusant. Hic nulli sunt labores, nulla excusatio. Nec dubito, plurimos ad confessionem, atque SS. Eucharistiam quotidie aduoluturos; cogitabunt enim: si de hoc agitur, si hoc tantum a me petitur, facile est semel confiteri. Sufficiet hoc quidem apud aliquos, apud multos tamen non sufficit. Quia poenitere multa requirit. Multis necesse est sepius confiteri, ut discant confiteri, & hoc a Confessarijs doceri petant. Multis necesse est saepe confiteri, ut discant vitia consueta, blasphemias, detractiones, iuramenta, turpiloquia deponere &c. multis necesse est, saepe confiteri, ut satisfaciant pro peccatis, na inter saluberrimas poenitentias est, si iungatur, ut confessio saepe repetatur. Deniq; nonne stultissimus est is agrotus, qui morbum ferre non potest a quo animo, & tamen illa medicina non vitur, qua scit alios esse sanatos? Audijstis de Italicorum, immo & de Niniuitarum poenitentia, & sanitate; agrotatis, male habetis, hostem, exterminium timetis; si poenitentia tamquam medicina non vitimini, insanitis; & meremini, quod Eremita Italis praedixit, nisi poenituisent, euenturum. Non dicuntur haec ad terrorem vobis injciendum, non ad desperationem faciendam, sed ut spem concipiat pacis breui secutura, si poenitentia, si emendatio vestra praecedat. Nam, teste Cypriano, *Qui poenitentia facti sui, qui pudore delicti plus & virtutis, & fidei, de ipso lapsu sui dolore conceperit exauditus & adiutus a Domino, quam contristauerat nuper. Latam faciei Ecclesiam, nec iam solam Dei veniam merebitur, sed coronam; quia & victoriam, ut etiam huc quadret: VICTI VI-*

S Cyprian.
lib. de lapsu

CTORES VINCENT.

